

QK. 231 4

X 2054556

XII

Z d
1390

IACOBI A MELLENI
LVBECENSIS

HISTORIA
VRNNAE
SEPVLCRALIS
SARMATICAE

ANNO cIo lOc LXXIV. REPERTAE.

Ad

EXCELL. VIRVM

DN. GEORGIVM WOLFGANGVM WEDELIVM

MED. D. ET PROF. P. ARCHIATRVM
DVCALEM SAXONICVM S. R. I. NATVRAE-
CVRIOSORVM ACADEMIAE ADIVNCTVM
HERCVLEM.

I E N A E

TYPIS SAMVELIS KREBSII

ANNO cIo lOc LXXIX.

BIBLIOTHECA
PENCICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
SACHSEN-ANHALT

IO. SMETIVS

Antiquitatum Neomagensium Præfatione:

DE NONNULLIS QUID SENTIAM, AVT QUID SIBI VE-
LINT, NON PROMPTVM EST MIHI DICERE. VIDEOR ALI-
QVANDO PER NEVLAM ALIQVID VIDERE, ET IN TALIBVS
NIL PRAETER CONIECTVRAS HABEO. — METAM
VERO SCRIPTIONIS MIHI ATTIGISSE VIDEOR, SI ALIOS
EXCITAVERO AD EA INVESTIGANDA, QVAE NOS LA-
TENT.

V I R O
NOBILISSIMO EXCELLEN-
TISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
GEORGIO WOLF-
GANGO WEDELIO
MED. D. ET PROF. P. O. ARCHIATRO
DVCALI SAXONICO S. R. I. ACADEMIAE
NATVRAE-CVRIOSORVM ADIVNCTO
HERCVLI

MAECENATI AC PATRONO
SVO VENERANDO

IACOBVS A MELLEN
S. P. D.



EPISTOLA.

N luctu es, Vir Excellentissime, ob prematurum obitum suavissimæ Tuæ Conjugis: & quocunque Te vertis, lugubria dolorum signa Te stipant. Hunc penetralium anthracinus color, museum amicorum consolatorii refertum, & Tuæ, Liberorumque pullæ vestes significant. Sed & ego oculis Tuis funebris quidquam argumenti expono, sepulchralis scilicet Urnæ Historiam: quam cum nuper coram monstrarem, adeo non displicere animadverti, ut non ingratum Tibi fore conjicerem, si quis eandem accuratius examinandam perspicacissimo Tuo ingenio, iudicioque exquisito committeret. De funeribus Tecum ago, Nobilissime VVEDLI, non ut funeris Tui refricem vulnera, sed ut aliis funerei argumenti, hoc est, statui Tuarum rerum convenientibus materiis, a mœrore Te revocem. Ab Urnarum veterum aspectu hoc solatii etiam Te accepturum credidi, ut ex gentilium cœcitate Tuum ac omnium Christianorum splendorem metireris. Illi figlinis monumentis suorum memoriam conservarunt; quam novi quidem operis, sed nobilioribus vasibus, scilicet omnium bonorum mentibus inclusam, Tu cum his feliciter in secula transmittis. Vale.

Dabam lenæ, ad Kalendas Majas, A.C. 1709 LXXIX.



HISTORIA
VRNAE SEPULCRALIS
SARMATICAE.



Um nuper Halis Saxonum, M. IO-
HANNEM GOTFRIDUM
OLEARIVM, Ecclesiae non mi-
nus, quam rei litterariae, ac omnige-
nae litteraturae decus inviserem, inter cetera splen-
didissimi musei cimelia in urnas veterum sepulcra-
les incidi, quarum antiquitatem, usum ac fabri-
cam non sine eximia animi voluptate perpendi.
Inprimis maxima harum, & ceu puto, pretiosis-
sima meos in se convertit oculos, cum quod of-
fium humanorum reliquiis, tum eximio antiqui-
tatis pignore, aenea scilicet acu, quam continebat,
ceteras mihi videretur praecellere. A clarissimo
Domino possessore fatum erutae hujus urnae, ac
quomodo in ejus manus devenerit, expetens, quid
de eo me docuerit, cum optimi meique aman-
tissimi viri pace publici juris facere constitui.

A 3

Polo-

Polonia, veterum Sarmatarum sedes, in maiorem maioremque solet dividi. Majoris Poloniæ bonam partem Posnanensis absolvit Palatinatus. In hujus territorio planities quædam est, septem leucis ab ipsa Posnania civitate distans, duabus vero cum dimidia, Lissa oppido, at paucis passibus Smigelio, prope viam regiam. Sabulosus campus in ortum querceto, meridiem versus præcelso monte, ad septentrionem rivo, in occasum solem alia planitie circumscriptus est. Hic loci anno æræ Christianæ c^o l^o c^o LXXIV. vergente prope modum æstate forte fortuna magni quondam operis fragmina sunt effossa, & ni fallor, antiquissimi paganorum sepulcri rudera. Primo lignibus ad aperta tellus præter lapides magnos & alicubi compactos lateres nihil sese offerebat, quod vel oppidum olim ibi conditum, vel templum, vel alia ædificia argueret. Calce nulla, multo minus argilla lapides erant firmati, sed soli arenæ, eleganti tamen serie, impositi eruebantur. Paulo post scorix metalli comparuerunt numero haut exiguo, quas inter aliquæ tam magnæ, ut earum ambitus sex ulnas æquaret, & duobus viris vix loco movendæ essent. Argilla scorix erant septæ, supra quas ad palmi altitudinem atra terra habebat & simillima carbonibus fuligo. Tandem in-

[cide-

SEPULCRALIS SARMATICAE.

eiderunt fossores in multas urnas fictiles, eximia⁷
 magnitudinis, & operculis tectas ex eadem mate-
 rie, coloris rubicundi, nonnunquam tamen in gri-
 seum vergentis. Ambiebant singulas magni la-
 pides, ultra duas dimidiamve ulnas in arena lati-
 tantes. Cum aperirentur, omnes plenæ erant ossi-
 bus humanis candoris nivei, sed magnam partem
 comminutis. Singularum ex maximis urnarum
 venter acum continebat singularis formæ: & ha-
 rum quidem aliæ erant argentæ, pleræque tamen
 ex orichalco & cupro fabrefactæ, paucissimæ fer-
 reæ. Vbi magna quædam urna erat condita, circa
 eam duæ ut plurimum aliæ erant dispositæ, coloris
 grisei vel lutei, sed exiguæ, omnes sine operculo,
 ossibus & acu, vel arena repletæ. Aliquando uni-
 ca parvula comes stabat, & quasi pedissequa ma-
 joris. Hoc itaque ordine singulæ effodiebantur
 urnæ: Maximus lapis innitebatur multis minori-
 bus suppositis, tam apte tamen conjunctis, ac si
 summa cura essent constipati, sine ullis calcis vel
 argillæ vestigiis. His remotis magna urna se dabat
 conspectui cum duabus sociis minoribus, impositæ
 alii plano lapidi, sed paulo minori ac is qui hanc
 structuram obtegebat. Situs ac squalor ita con-
 sumerat urnas, ut illico collaberentur, cum vix
 primis tangerentur digitis. Paucissimæ naufra-
 gium

gium evaserunt salvæ. Quin & ossa luci exposita tantum pristini amisere candoris, ut nonnulla flavedinem, quædam contraxerint nigredinem. Sed restant tamen aliqua, nivei coloris testes: plurima etiam levi tactu in favillas abeunt. Fama est, reperta etiam vasa quædam liquoribus plena, quam tamen incertam esse certus sum. Hoc scio, præter sepulcrales istas ossibusque repletas urnas, inventas quoque esse patellas fictiles, & discos figlinos, stanneis nostris plane similes: imo varii generis & magnitudinis vasa & patinas: item calicem fictilem cylindricæ figuræ, nec non ollas arena impletas, in quarum fundo fila quædam jacuere incertum sericeane an lanea, in orbem convoluta, & similia nidis avicularum quas linarias vocamus. Quædam urnæ nullas intus habuere acus, extus tamen erant positæ: nonnullæ etiam acum loco continebant alia metalli fragmina; quibusdam pateris crines erant impositi: & in una lapis (uti vocant) fulminaris reperiëbatur. Campus hic sepulcralis in varias divisus est speluncas, & antra urnas complexa. In quibusdam unica tantum, in aliis tres, in nonnullis duodecim comparuerunt urnæ, omnes gemino modo compactæ & repletæ. Harum plurimæ cum confringerentur, aut potius collaberentur illico, tota illa planities undiqua-

diquaque testis & ossibus est conspersa: in quæ
 cœli injuriæ hætenus debacchantur.

Gratulari igitur habemus laudato, sed nunquam
 latis laudando Oleario nostro de præcipua
 sorte sua, quod firmum & incolume nactus fue-
 rit hujus antiquissimi monumenti cimelium, ma-
 gnâ scilicet urnam sepulcralem, ossibus tam can-
 didis, quam nigricantibus & flavis repletam, imo
 etiam acu ænea instructam, & operculo tectam,
 quam Tabula I. depictam, operculum vero in-
 fractum Tabula II. exhibemus, Acum vero Tabula
 V. n. I. fecimus delineari. Accepit autem singula
 nundinis Lipsiensibus, ipsis Ianuarii Kalendis anni
 MDCC LXXV. Sed & præter hanc majorem
 tum nactus est duas minores urnas vacuas, majoris
 illius, uti antea dixi, comites, quarum effigiem, sed
 dimidiata magnitudine Tab. III. n. 4. exhibet. Dein
 aliæ tres minuscule adventarunt urnæ, quarum
 dimidiatæ itidem formæ icones Tab. IV. n. 3. 4. 5.
 repræsentant. Singulæ fuerunt inanes, præter pri-
 mam (n. 3.) quæ minuta admodum ossa continu-
 it, at tam tenera & attrita, ut illico conciderint. His
 urnulis adjunctæ fuerunt acus aliæ ibi repertæ, ut
 & metalli frustra & noduli ænei, quæ singula pro
 justa quantitate Tab. V. sunt expressa. Et quidem
 acus maxima hujus tabulæ, quæ cuprea est, & no-
 B do

do tortili insignis (n. 2.) reperta fuit, non in aliqua urna, sed inter duas majores ossibus repletas, quas VII. octove minores urnæ cingebant. Juxta aliam urnam acus illa, quæ n. 4. exhibetur, reperta est: quam mei juris fecit maxima domini possessoris in me benevolentia. Cetera fragmenta æris incognita, num. 8, 9, 10, 11. juxta alias urnas sunt inventa: bini autem ærei nodi, quos eadem tabula n. 6. & 7. demonstrat, in urna quadam ossibus repleta apparuere, quæ vel viginti urnas patinasque fictiles in eadem crypta socias habebat. Ita etiam acus n. 5. delineata jacuit, ut & hæc, quæ num. 3. comparet. Sed illa ipsa non pervenit ad Olearium nostrum, qui tantum iconem ejus accepit. Monetæ nullum genus hic effossum est; nisi dixeris lamellas quasdam rotundas hanc notasse, quæ tamen adeo rudes & attritæ fuerunt, ut statim in pulverem resolverentur. Hanc sortem etiam acus quædam expertæ: ut adeo liceat ex his signis vetustatem operis conjicere. In vicinia hujus campi effossa est inter alias ollas ossibus refertas, urna quædam tota impleta dentibus inusitatæ magnitudinis, quorum triga cum itidem ad Dn. Olearium pervenerit, unius justam formam Tabula IV. n. 13. curavimus delineandam. Denique viginti passuum spacio a profluente sunt reperti tumuli lateri-

teri-

teribus planis exstructi, quos ustrinas hujus coemeterii appellaveris. Erant autem una serie juncti, singulis vero V. vel sex ulnarum intercedente spacio. Focorum instar erant tacti, ad duas ulnas terra tecti. Forma erat quadrangularis, longitudo ulnarum quatuor, latitudo duarum: nonnulli tamen paulo minores fuerunt. Lapides inferiores superioribus paullo angustiores deprehensi, supremi autem adeo combusti, ut digitis facile contererentur. Vni foco juncta erat pars ferreae laminæ, & propter eum multi carbones.

Atque ita se res habet cum loco, statu ac forma urnarum, rebusque in illis ac circa eas repertis, itemque cum ipsarum effossione. Animus nunc est expendere singula, notisque & animadversionibus illustrare.

Pervulgata est notitiæ veteres gentiles mortuos cremasse: non tamen antiquissimos. Nam prisco more invaluerat, ut ex humo natus homo, cum diem obiisset supremum, terra iterum conditus humaretur. Dehinc superstitiosus in amica pectora affectus igne statuit consumere, quos vel bellorum motibus, vel beluarum furore terra nolent erui. Ne tamen in auras abiret omnis dilecti cadaveris memoria, cum totum asservari non daretur, cineres, quin & ossium reliquias sedulo col-

*vestigium Sabaz in Orat
Herod. p. 56.*

lecta ad posteros transmittere operæ pretium cre-
diderunt. Huic fini interviebant urnæ, vel ossua-
riæ, vel cinerariæ, ex utroque usu ita nominatæ. Præ-
ceteris gentibus Romanos hujus ritus tenaces ac-
cepimus, tot veterum scriptorum dictis totidem
Philologorum monumentis decantatos. Cete-
rum, quando in Sarmatia idem antiquissimus mos
receptus, & sive hospitibus sive inquilinis fuerit
adscribendus, paulo curatius indagare nunc mei
judico officii.

Latissime olim patuit Sarmatia, ac habitata fuit
Venedis seu Wendis: qui, quod colonia ducta,
seculo VI. Vandalis ad oras maris Balthici suc-
cesserint, toties cum Vandalis male confundun-
tur. Pars Sarmatiæ Polonia fuit, non heri aut nu-
dius tertius sic appellata, sed sub hoc, licet leviter
immutato nomine, jam tum Ptolemæo Antonini
Pii ævo, cognita. Illius enim *Bulanos*, non alios
esse quam *Polonos*, optime notavit Cl. Vir Christo-
phorus Hartknoch in *Republica Polonica*. Et qui-
dem *Polonia vetus* appellata fuit hodierna major
minorq; Polonia, una cum Masovia, Silesia &
parte novæ Marchiæ. His terris licet primis a
Christo nato seculis Romani victrices importa-
rint aquilas; eosdem tamen nescio an ostendi
queat, hic reliquisse ista quæ deteximus vasa os-
suaria.

luaria. Nimia urnarum confluges pugnat contra hanc sententiam ; nec vero videtur simile, tamdiu sedem hic fixisse veteres Romanos, ut condendis ejusmodi cryptis ac tam operose seponendis disponendisque urnis multum temporis attribuerint. Tum, si vel maxime collatis cum Sarmatarum gente manibus, Romanorum pluri- mi in prælio occubissent ; illis ipsis tamen tam solennia justa esse facta, qui satis comprobari pos- sit, nondum videre mihi videor. Huc accedit, quod nec in cæsis militibus crematio semper, sed humatio quandoque habuerit locum ; quod, ut alia taceam, exemplum militis octavæ legionis, a Balthasare Bebelio, Historico non minus quam Theologo celebri in *Antiquitatibus Argentora- tensibus* productum arguit. Deinde nimia urna- rum obstat simplicitas, parum conveniens Roma- norum luxui, qui non nisi pauperiorum vasa se- pulcralia literis, striis & reliquo ornatu cælaturæ carentia sepulcris intulerunt. Ad Venedos itaque recurrendum, quos eo facilius antiqui hujus ope- ris auctores credas, quanto certius constat, olim eundem cremandi mortuos & ossa urnis conden- di morem non Afris, Indis ac Romanis tantum, sed & gentibus septentrionalibus nostrisque ad Coda- num sinum majoribus, (fuerunt autem illi ipsi

Venedi) fuisse usurpatum. Antiquos Daniæ Nor-
 vagiæque incolas Reges suos ac heroes in navicula,
 ceteros de plebe homines in tumulis, combussisse,
 dein urnis ipsorum cineres variis mixtos cimeliis,
 intulisse, auctor est Saxo Grammaticus *Historiæ
 Daniæ* libro II I. & interpretes ejus Stephanius. De
 Svecis idem affirmat Ericus Olai *Gothorum Sveco-
 rumque historiæ* a Messenio editæ lib. I. Tot quo-
 que vascula antiqui operis in histerris & in Jutia
 effossa idem testantur: de quibus Olaus VVormius
Musei libro IV. & passim in *Monumentis Danicis*
 legendus. De recepto inter Gallos more mortu-
 os comburendi Pomponius Mela lib. III. *de situ
 Orbis* egit: & plura congeffit Christianus Adol-
 phus Balduinus, Academiae S. R. I. Naturæ Curio-
 sorum *Hermes*, observatione I. circa urnas non
 procul Hayna anno c^o l^o c^o LXXIV. inventas.
 Sed en Sarmatas nostros, & quidem Vistulæ vici-
 nos, adeoque sub Herulorum nomine illustres, iti-
 dem mixtum hoc ex crematione & humatione se-
 pulturæ genus admittentes. De his enim Proco-
 pius Cælarensis, Seculi VI. Scriptor, libro II.
Belli Gothici ita: Πανσαμένης δὲ αὐτῆς τῆ φλο-
 γῆς, συλλέξαντες τὰ ὀσά, τὰ παρὰ γῆρα τῆ γῆ
 ἔκευπτον. *Vt primum flamma ipsa resederat, col-
 lecta protinus ossa terra condebant.* Urnas istas
 sepul-

sepulcrales, quas cum ossibus semiustis, variisque metalli fragmentis in Marchia circa Francofurtum ad Viadrum effodi dicit Cl. Vir Joh. Christoph. Beckmanus, in notis ad V Wolfgangi Justi *Francofurtense Chronicon*; quis non potius antiquis istius loci indigenis, quam transeuntibus Romanis advenis adscriberet? Et mirum quantum hæc vascula cum nostris Polonicis conveniunt: non secus ac illa, quæ in Lusatia inferiori erui notat illustre quondam Hofatiæ decus Adam Olearius, *Cimeliarchii Gottorpiensis Tabula XXXVI.* ubi etiam unum ossuarium æri incisum habemus, quod anno abhinc quarto in eodem cimeliarchio & vidimus & contrectavimus. Quæ circa Rhenum flumen & in Batavis eruuntur vasa ossuaria ad Romanos merito spectant, & tituli id clare testantur. Tenuere enim Romani has provincias olim, & satis diu coluere. Polonicas autem Marchicasque urnas Romanæ originis esse ut crederem, nunquam inducor. Eosdem, ceu equidem existimo, non agnoscunt dominos & auctores vascula sepulcralia, quæ in Misnia Thuringiaque sunt effossa: de quibus inferius aliquid dicendum veniet. Ad Romanos spectare etiam nego urnas istas & cacabos, quos haut procul Vratislavia anno *MDCCXIV.* inventos æri incidi curavit, quisquis sub his
ini-

initialibus literis C. C. D. latere voluit scriptor; quorumque similes antehac alibi in Silesia, puta Trebnicii, Lubenæ, Maselwicii, Corossiczæ, effosfos asserit. Simplex enim eorum forma & rudes in aliquibus striæ id comprobant, delicatulo Romano genio non respondentes: imo luculentum sententiæ meæ robur conciliant, dum veteribus Venedis cremandi, urnisque componendi cadauera morem fuisse demonstrant.

Ad ipsas nunc progredimur urnas, & cum certi simus, Sarmatis incolis illas originem debere, singula, quæ circa effossionem earum obtigere, contemplabimur.

Scoriæ metallicæ, quæ primo loco sunt inventæ, in varias animum trahunt sententias, unde ortum traxerint: præsertim quia nonnullas tanti ponderis fuisse affirmant, ut iisdem loco movendis nec duo robusti homines suffecerint. Non facile existimaveris, veteres una cum demortuis suis illas condidisse: quod tamen aliis cum rebus consueverunt facere, uti inferius patebit. Hinc nonnulli eo inclinant, reconditos forte in sepulcretis thesauros, permissu Numinis supremi a diabolo conflatos & in scorias esse resolutos. Quod quidem etsi mihi non sit vero simile, præfractæ tamen non negaverim. Id vero in primis optandum, qui

qui per homines talium peritos, si forte id nondum factum, examinarentur scoriæ, & cujus sint generis, curate explicaretur.

Scorias exceperunt cavernæ magnis minoribusque urnis sepulcralibus refertæ. De positu harum urnarum quæ attulimus, mire illustrant verba Stephani Iohannis Stephani ex notis ad Saxo- nem Grammaticum repetenda: *Primitus defunctis juxta soluturi* (Populi Septentrionales) *in campo plano, juxta regiam aut defuncti prædium sito, circulum miræ magnitudinis lapidibus efformabant, oblongum tamen, viginti circiter orgiarum longitudine, latitudine trium. In hoc defuncti cremabant cadaver. Cineres collectos urnis includebant, ac in circi meditullio locatos grandioribus undique stipabant saxis, superinjecto latiori, quo cetera tegerent.* Vide Lector, quam apte conveniat hic Borealium ritus Sarmatico superius descripto. Habes locum extra civitatem, seu prædium, habes lapides urnæ circumjectos, & magnum, qui urnam tegit: Imo si sequentia Stephani verba consideraveris, de serie lapidum absque cæmento seu calce tam scite dispositorum, ac si summa arte cæsi & conglutinati essent, facile nobis assenseris.

Extra civitatem deprehendimus hæc sepul-
C
cra,

cra, & ad viam quidem publicam: queis locis jam pridem Romanos delectatos in vulgus notum est. Quin & XII. Tabularum lege cautum, ne quis intra urbem mortuos cremaret. An vetustissimis temporibus eo loci, ubi hodie habet Smigelium, situm quoddam fuerit oppidum aut vicus, ad quem via regia duxerit, ex Polonicis monumentis non exsculpes: sunt tamen qui affirmant. Et si res ita se habuerit, quam probe Sarmatæ Venedi cum Romanis, gentibusve septentrionalibus & in hoc ritu convenerint, foret manifestum.

Figura urnarum ex schematis patet: de materia & colore supra diximus. Ex argilla seu simplici potius luto sunt formatæ. Ejusmodi urnas apud Romanos a divitiis luxuriantes soli pauperes adhibebant. Nam opulentiorum cineres alabastrites, marmor, æs, argentum, quandoque aurum capiebat. Vitreas etiam urnas usurpasse constat, tum ex urna sepulcrali Ciceronis, anno c1010XIV. in Zacyntho insula una cum ipso monumento detecta: quo de singulari commentatione Desiderius Lignamineus egit: tum ex his, quas in Clivenfi tractu effossas memorat Becmanus ad VVolfgangi Iusti Francofurtense Chronicon, p. XI. Non tamen inde pauperiem hominum ibidem reconditorum unice collegeris: cum præsertim
nullæ

nullæ aliæ quam fictiles apparuerint. Quis enim tot Iros uno sepulcro clausos dixerit? Si quid video, ex more gentis fuit illa simplicitas, quæ in aliis multis locum habuit: quamvis revera etiam pauperrimi Sarmatæ vocari possint, si eosdem Romanis divitiis pariter ac luxu diffluentibus comparaveris.

Figlinorum equidem vasculorum varius apud veteres fuit usus, dum vel ad sacra facienda, vel domesticos usus, vel alia adhibebantur negotia: uti post alios in Neomagensibus Antiquitatibus docuit Io Smetius. Nostra tamen non nisi ad funera & eorum pertinere reliquias, ex ossibus in iisdem repertis facile elucet. Hinc vera etiam sunt ossuaria, & licet quoque cineres continere videantur, magis tamen pulverem hunc ex contritis provenisse ossibus, quam cineres esse existimaveris. Omnes urnæ & literis & striis carent, nisi quod maioris operculum aliquibus rectis ductibus sit insigne, quod ex Tabula II. repetes: & minor illa, quam Tabula IV. num. 4. exhibet. Notandum porro, veterum nonnullos loco literarum nonnunquam tales lineas antiquis suis operibus insculpsisse. Et reperti sunt, qui non modo ex iisdem auctores talium ductuum collegerint, sed & in veterum animi sensa penetrasse fuerint visi.



dex quidam hac in re Statio commendatur, quo de aliisque laudatus consulatur Smetius. Sed qui sub crasso aere Sarmatico nati, magis ornatus gratia addidisse, quam pro vocum symbolis exposuisse credendum. Idem fundos ollarum omnes reliquere absque inscriptionibus, quos Romani vel libertorum vel figulorum nominibus signare consueverunt.

Ad ossa ipsa devenio, quæ nivea primum fuisse dixi, postea partim flavedinem contraxisse, non pauca tamen pristinum candorem servasse. Adhuc cranii, mandibularum, vertebrarum, & definita alia cadaveris ossa animadvertas, queis, si plures urnæ darentur, a rerum peritis vel integrum conformari posset sceleton. Mirum tamen majorum urnarum unam non unius hominis ossa continere, sed plurium: id quod crania majora & minora in una eademque olla reperta testantur. Atque hoc argumento inducor, ut credam, magnam talem urnam ad certam Venedorum veterum familiam spectasse, & sepulcri seu communis cæmetei cavernas fuisse gentilitias. Ita quidem, ut uniuscujusque ex familia demortui ossa ab igne reliqua in unam familiæ urnam colligerentur: quam cinerum mixtionem etiam Romanos observasse, Jacobus Guthenius *de Jure Manium*, lib. II. c. XXV.

c. XXV. demonstravit. Non nemo opinatur, parvas urnas, quæ majorem aliquam semper comitæ sunt, & numerum & ætatem cadaverum, quorum ossa magna illa urna fuere condita, notasse: ut adeo, quoties ossa cremati cadaveris in urnam majorem conjecta, parva aliqua olla fuerit apposita, testis instar, aliquem ex hac familia Patribus fuisse additum. Quam quidem conjecturam satis ingeniosam nunc neque confirmare, neque habeo refellere.

Ex ossibus nostris apparet etiam Sarmatis usitatam fuisse reliquiarum collectionem, quam Romani vocabant Ossilegium. Et horum quidem ritus, quibus Funera femina præfuit, Tibullus lib. III. eleg. II. graphice depinxit. Solebant Romani nono post cremationem die ossa legere (Servium, qui tertium præfinit diem, conciliantem aliis videtur laudatum Gutherium *de Jure Manium* lib. I. c. XXVIII.) & postquam præfati manes, terque animam vocarant, vino lavabant & lacte, osculoque impresso terræ mandabant. Nostris Venedis quid in his actum sit, æterna latet, ac latebit forte caligine: & non videntur tantum istis tribuisse ceremoniis, quamvis summa rei ab ipsis non fuerit aliena.

Verfatis Urnæ nostræ ossibus ænea sese acus offert Tabula V. num. 1. expressa. Hæc a capite

C 3

dimi-

dimidia coloris viridis, & velut vitro incrustata est, cetera vero orichalci colorem nitet. Eadem tabula plures acus produximus, nodos etiam & æramenta, quæ partim in ipsis urnis, partim circa illas sunt reperta. Jam quid ista sibi velint, videamus. Cremandis hominum cadaveribus varias res jungebant veteres, quarum reliquias cum cinere & ossibus humanis, urnis componebant. Romanorum eo creverat luxuriane dicam an superstitio, ut non modo res demortui charissimas igni & sepulcro traderent, sed & aureos argenteosque consepelirent nummos, quos tandem adeo profundere lege fuit prohibitum. Indis etiam maritis conjugum charissimas vivas in rogo & sepulcro sese sociasse, tot itinerum testantur ephemerides. Sed & arma, jumenta, eorumque phaleras, pugillares, item sigilla, annulos, fibulas, & sexcenta alia hujusmodi cum corporibus condita ex Chiffletii *Anastasi Childerici I. Francorum Regis* aliisque auctoribus repetimus. Hinc toties cum effossis urnis ossuariis & sarcophagis, ejusmodi reliquiæ luci exponuntur. Has inter nobilissimæ sunt, quas modo tetigimus, a Chiffletio eleganter explicitæ Childericianæ reliquiæ. Et miratu æquæ ac consideratu digna sunt egregia illa, sive officii seu superstitionis signa cum Pannonii cadaveris ossibus Vindobonæ effos-

effossa, quæ Amplissimus Lambecius *Commentariorum de Bibliotheca Casarea* parte prima nobis dedit. Huc spectant cultelli in urnis reperti & in *Museo Wormiano* descripti lib. IV. ut & pugiones, calcaria, instrumenta musica, aliaque talia libro I. *Monumentorum Danicorum* memorata: nec minus specula, bullæ & amuleta, quorum Smetius in *Neomagensibus* meminit. Etiam in ipsa Saxonica non procul Halis, ad pagum Diemnitz, in monte *Tautschberg* una cum urna erutus anno *MDCLVIII.* malleus fuit ferreus, ab imperitis fossoribus prætereunti mercatori venditus. Urnæ tamen fragmenta ad *Dn. Olearium* transire, una cum serie ignotorum nodulorum subflavorum, semini cuiusdam similia, & ex filo pendulorum: quos cum ipsis testis *Tab. IV. num. 6. & 7.* delineari fecimus. Hæc inter cimelia, nonnunquam ludicra, consépulta mortuis, nostra acus ceteraque æramenta referri debent. Sæpissime occurrunt acus & fibulæ, in detectis sepulcris inventæ, eæque variæ materiæ, argentæ, aureæ, æneæ, ferreæ, ac denique osseæ. Auream acum, aureasque fibulas inter ossa *Childerici* repertas *Illustris Chifletius* cap. XI. *Anastaseos* suæ exhibet. Acum XII. pollicum, id est, Romani pedis longitudine ex urna *Mariæ, Stiliconis filia, Honorio Imperatori*

tori nuptæ, erutam prædicat civis meus Albertus Reimarus, in *Antiqua Roma* Acus etiam, aut fibulas esse existimo, de quibus loquitur Adamus Olearius, *Cimeliarchi Gottorpiensis de descriptione* pag. LXXVII. ubi de urnis in Lusatia inventis subjicit: Darin befinden sich Asche / Kohlen und Knochen / wie kleine Kinder-Beine / auch zuweilen Stücklein Metall / wie starck Drat / so mehrentheils Kupffer / und sich wie Gold arbeiten läßt. Urnæ VVendicæ circa Cotbusium effossæ, quarum sub *Thesauri Orcivi* titulo, accuratissimam ab Amplissimo Viro, Martino Friderico Seidelio descriptionem expectamus, tribus, si integræ fuerunt, constitere partibus, acu, unco, & nodo. Idem Seidelius in Clivenfis urnis fibulas calceorum, lunulas, item aliquot particulas nolarum & similes reculas deprehendit. Nec defuerunt fibulæ Marchicis illis urnis, quas recenset Becmanus ad VVolfgangi Iusti *Francofurtense Chronicon*, licet disertæ acus ibi non fiat mentio. Sed mittimus fibulas, quarum usum & figuras peculiari *de Acia* tractatu, Ioannes Rhodius, nec non Smetius in *Antiquitatibus suis Neomagensibus* vulgarunt.

Acuum varius apud veteres erat usus. Textorum sartorumque acus non tangimus. Si quis enim horum urnis has junctas crediderit, nescio quan-

quantam istiusmodi opificum concionem heic sepultam necessum foret. Feminarum aliae fuerunt acus, eademque vel comatoria vel crinales, *queis utebantur, ad explicandos & discriminandos capillos* (verba Smetii ex *Antiquitatibus Neomagensibus* repeto) *quae inde veteribus dicebantur discriminales*: Erant autem non tantum ad componendum crinem vel capillum, sed etiam ad scalpendum caput, ut inde prurigo tolleretur. Sed neque omnes hujus generis fuisse dixeris, nisi forte non Sarmaticos sed Amazonicos campos cogitaveris. Denique fibulatoria fuisse acus, ad subnectendas vestes usurpatae: qualis aurea illa Childerici a Chiffletio prolata. Et sane aut ego vehementer fallor, aut acus nostrae in urnis reperiae ex illo fuerunt genere.

Tacitus in Germanorum habitu notat *sagum, fibula, aut si desit, spina confertum*. Spinam ibi vel nativam fuisse, ex simplici rusticoque majorum nostrorum cultu existimes, vel acum spinæ ex forma nomen trahentem, fibulaeque vices sustententem. Tali veste seu sago Sarmatas seu Venedos hic sepultos etiam usos crediderim, mortuosque in eodem amictu combustos: quorum post cremationem superstes acus seu spina fibulatoria eundem cum ossibus locum in sepulchrali urna invenit.

D

nerit.

nerit. Equidem maximæ Vrnæ nostræ acum (num. I.) dictum livorem seu colorem viridem dimidia sui parte, e vestitu scilicet prominenti, adeoque flammis obnoxia, contraxisse puto. Et quid vetat reliqua fragmenta, quæ Tabula V. sub num. 8, 9, 10, 11, 12. ostentat, fibularum fragmenta dicere, quæ eidem forte interfuerunt utui? Et forsitan nodos binos num. 6. & 7. huic fini non male dedicaveris. Vnicus adhuc restat scrupulus, nempe, qui fiat, quod cum plurium cadaverum crematorum cineres una latuisse urna scripserimus, unica tamen semper acus in eadem tantum reperiatur. Sed quid si responderim, Patrist familias hanc acum fuisse fibulatoriam; ceterorum, utpote matris sororumque ac nondum adulatorum fratrum vestes magna ejusmodi acu caruisse? Meliora afferenti lubens meritoque cedam.

De vasis liquore plenis rumorem incertum jam rejeci. Ab amico tamen, quem id exules Vngari docuerant, accepi, haut ita pridem in Vngaria vasa quædam eruta, optimo vino Vngarico plena, licet nulla ibidem ossuaria vel cineraria compa-
 ruerint. Gutherius *de Jure Manium* lib. II. c. XXII. memorat, quod *Patavii in monumento veteri reperta fuerit urna coctilis, intra quam urna quatuor minores, versibus exornata, cum alia minore*
 urnula

urnula & duabus ampullis, una ex auro, altera ex argento, liquidissimi liquoris plena. Addit: Liqueores his in vasculis varii, qui fere lacrymis & opobalsamo compositi, atque in lacrymarum phialis asservati. Smetium quoque audiemus Antiquitat. Neom. pag. 116. Retectus hic (Neomagi) fuit anno MDLXLV. sarcophagus ex topbo, adstant lagena vitrea tres. Vna majore sui parte liquore non oleaginoso, sed salsuginoso plena, qui liquor tunc motu terrae injectione turbatus, paucos intra dies ad limpiditatem clarissimam rediit, quam etiamnum integer servat. Cl. Liceto judice, lagena ista plena fuit humore lacrymarum. Talis phiala lacrymalis est in Electorali Bibliotheca Brandenburgensi, in qua liquor ille exaruit, & post se reliquit sal varii coloris, colla columbarum imitantis.

Cetera figlina vasa, discos, pateras ac pocula referentia, quid si diceremus ad id adhibita fuisse, ut inferiæ iis sepulcro inferrentur, vel cum mortuis dapes terra conderentur, Manibus, si Dis placet, depascendæ? Moscovitis aliisque Sarmatiæ hodiernæ incolis non ita pridem illum morem fuisse receptum, novimus: nec est, cur ad alias gentes provocemus. Pilos mortuis impositos in *Adversariis* Heraldus, in *de Funeribus veterum Romano-*

rum proavus meus maternus Johannes Kirchmannus observavit. Sed an id & apud Sarmatas invenerit, non habeo dicere. Denique lapidem fulminarem & fila, quo referam, vel qui explicem, nondum me reperisse fateor.

Ustrinae supersunt, quas lapidibus structas rogis imponendis adhibitas fuisse diximus. Apud veterum sepulcralium rituum scriptores, rogorum pyrarumque materiae & formae frequens mentio: sed ustrinae, lapidibus in quadratam surgentis formam, imo ferreis laminis tectae, nulla, credo, usquam est memoria.

Circa magnorum dentium in peculiari ossa repertorum contemplationem lectorem adhuc morabor. Gigantes antiquitus in orbe vixisse, ex sacra & externa docemur historia, ac tot stupendae magnitudinis detecta passim humana ossa testantur. Interim non spernanda est Petri Gassendi in *Historia vita Peiresciana* narratio. Huic illustri viro cum de gigantis Teutobochi Regis Teutonum ossibus in Delphinatu effossis Nicolai Habigoti libellus obvenisset, *non hesit quidem, inquit Gassendus, quin ossa in ea regione detecta fuissent: concessit, posse alicujus vetustioris gigantis esse: at cujus esse perhibebantur, in animum nunquam induxit.* Et post pauca: *ratus tum demum, grandia*

dia ossa, quæ effossis sæpe sepulcris miramur, esse Elephantina: quasi belluarum domini illa cara habuerint, aut forte etiam posteritati illudere voluerint, ex ea sepeliendorum cura. Opinatus est etiam commonstrari interdum ossa, quæ effossa fuerint ex arenis aliisque locis, ubi casu quodam fuerint obruta: cum reperire vix liceat virum aliquem fide dignum qui sepulcra fabrefacta oculis suis conspexerit, fidesque penes illos sit, qui divendunt, monstrant, aut se invenisse eruisseque profitebantur. Nescio igitur an non & hic locum habeat magni Peirescii, leviter quantumvis immutata sententia. Homo agrestis invenit illos dentes: solus fuit, & non satis certa fides, an peculiari in urna, & humanis juncti ossibus fuerint. Sed si vel maxime narrationi fides, quis non potius credat equinos dentes maxillares esse, quos pro giganteis vulgo venditant? Non enim insolens fuit veteribus, præter arma defunctorum etiam ipsos equos rogo immittere. De Germanis ita Tacitus: *Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur.* Tum dentes cum reliquo corpore non cremari, Plinius docuit lib. VII. cap. XVI. Quid igitur obstat, quo minus pro equinis dentibus habeamus a crematione lu-

perstitibus, & peculiari in urna asservatis: Neque enim diffiteor, nuper equinam maxillam excutienti dentem mihi oblatum, picto huic Sarmatico plane similem.

Et hæc habuimus, quæ raptim de urnis Sarmaticis eorumque effossione commentaremur. Ætatem earum certo definire mihi, nec aliis forsitan est integrum. Quoniam autem decimo demum seculo in Polonia cœpit Christiana religio doceri, minimum per septingentos annos has urnas terra latuisse, vero admodum est simile.

Coronidis loco ex reliquo Cl. Olearii nostri veterum sepulcrali apparatu nonnulla afferre placuit. In his autem sunt urnæ aliæ, Vas lacrymatorium, Lucernæ, earumque Infundibulum. Singula exhibent tertia & quarta Tabulæ.

Tertiæ Tabulæ Num. I. Vrna est in Italia inventa, coloris nigri, elegantissime fabrefacta, quinque ansis insignis. Quinque uncias cum dimidia in longitudinem surgit, ventris vero diameter sex unciis & tribus trientibus absolvitur.

Num. 2. Vrna Wendica est, in Marchia effossa, tres uncias cum quadrante longa, quam a B. Dn. Reinhardo Antistite Lipsiensi cum fragmentis busti veteris accepit.

Num. 3. Vrna itidem ad Italos spectat, longitudinis
uncia.

unciarum quatuor cum semisse, quæ excimeliarchio Splendidi cujusdam viri nunc beate vita functi, ad nostrum Olearium devoluta.

Num. 4. illa ipsa est Sarmatica minor, majori comes, de qua supra commentati sumus, alteri quam habuit possessor, plane gemina.

Tab. IV. num. 1. quæ habetur urna ex Italia allata est, tres uncias cum dimidia æquans, coloris grisei, quam summus favor Dn. Olearii meam esse voluit.

Num. 2. sunt fragmenta urnæ, si leonem ex ungue metiamur, capacissimæ, quæ ipse Olearius noster, cum vergente anni superioris æstate ad visendam Aloen Schlebii florentem, iter faceret, non procul Numburgo, Halam versus, ad pagum qui Marcreglitz dicitur, in ipsa fabulosa via regia, equorum unguis eruta & conquassata reperit.

Num. 3. 4. & 5. habentur parvulæ urnæ Sarmaticæ, de quibus supra egimus.

Num 6. sunt fragmenta illa, quæ itidem memoravimus Diemnitii effossa.

Num. 7. comparent grana illa, quæ simul adduximus.

Num. 8. Lampas fictilis coloris rubicundi, & ipso ellychnii foramine nigricans, ad feralesne apparatus

ratus

ratus pertineat, an potius sacrificiis adhibita fuerit, non satis liquet. Chifletius lane Vefont. part. 1. pag. 99. vasa fictilia rubicunda in sacrificiis usurpata esse auctor est, & pag. 94. lampadem affert huic similem.

Num. 9. 10. Hæc lucerna fictilis grisea, procul dubio est sepulcralis, & signo suo illustris, quo in aduersa parte, sive fundo est signata, Palma scilicet Martyrii : qualem Bosius *in Roma Subterreanea* & ex eo Aringhus aliique passim lampadibus, urnis atque loculis insculptam memorant. Non propria hæc est Olearii, sed ab amico, qui ipse illam ex crypta quadam Romana Halas attulit, mecum communicata fuit.

Num. 11. est infundibulum fictile, quo soliti sunt veteres lucernis suis oleum affundere.

Num. 12. denique Vas lacrymatorium exhibetur, figlini operis, griseum, quo lacrymas excipi solitas non ignotum est Philologorum filiis. Vitrea plerumque occurrunt talia *δακρυοδοχέα*, de quibus etiam nonnulla ante diximus. Similem huic lacrymatoriam urnam terream Olaus VVormius describit *Musei* lib. IV. c. I. & in Misnia eruit Albinus. Vide ejus *Chronicon*. c. XIX. Sed hæc de Vrnis ceterisque vasis sepulcralibus in præsentia dicta sunt.

F I N I S.

TABVLAI.





TAB




1.




2.



3.



4.



1.



2.



3.



4.











TAB. II.




TAB. II.












1



2



5



3



6




7



8




12



11





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]



CASP. SAGITTARII
S S. Theol. D. Histor. Prof. Publ.
& designati Historici Saxonici,
E P I S T O L A
ad
JACOBVM AMELLEN
Lubecensem.

*Clarissime, omnibusque elegantiori-
bus studiis florentissime Juuenis,
Amice ac Conuictor mellitissime.*



Annus agitur, imo prope absolvitur
tertius, ex quo tu primum mihi, ego
tibi in inclyta Holsatiae Kiloniensi Aca-
demia innotuerimus. Scilicet cum ex
Plur. Reverendi & Amplissimi Viri, Dn.
M. Bernhardi Krechtingii, Pastoris ad
ædem primariam B. Virginis, de Ecclesia CHRISTI patria
meritissimi, ejusdemque alterius Patris tui, & plusquam
paterno Te affectu complectentis decreto, huc haberes
concedere, & cum laudatissimo Viro, & tecum hac de
re pluribus coram agere constitui. Et sic quidem di-
vina disposuit providentia, ut cum Wolfferbytano
Bibliothecario Davide Hannisio in Daniam profectus,
Hafnia Lubecam navigans, quid de te mihi foret a-
nimi, in tuorum effundens sinum, mox quoque Ki-
E loni-

lonium abiens, ac confectis, quæ Slesvici agenda, negociis huc reversus, aliquoties tecum conversandi, tuosque mores intimius cognoscendi daretur occasio. Impense tum laudabaris a celeberrimis Academiae Professoribus, quibus tua te pietate, probitate, honestis moribus, ac non vulgari in sacris externisque doctrinis studio commendaras. Et sane cum ipsa illa ex facie relucens liberalitas, ac ingenuus candor supra ceteras ingenii dotes non parum mihi se probarent, ac animus meus nescio quid boni præfagiret, Lubecam denuo revertens, de tuo ad nos adventu inter Patrem matremque (alio nomine, quam tu, eosdem non vocabo) sollicitius actum est. Sic igitur a tuis, ac aliis Patronis amicisque ornatus alacris ac spe plenus Jenam remeavi, nec multo post in domum, convictum ac familiaritatem meam te recepi. In disciplinam quoque meam receptum dicerem, nisi iis instructus fuisses præsiidiis, ut non tam singulari & exquisita institutione haberes opus, quam levi tantum & fideli ostensione, quid in quovis doctrinæ genere imprimis sequendum, quid præ ceteris esset fugiendum. Ceterum mirifice te delectari coepit Historici studii ac in Germanicis potissimum rebus cultura, cumque in iis desudare videres præclaros aliquot Juvenes, concepta egregia æmulatione, ad conscribendam historiam patriam mecum te accinxisti. Non poterat non hæc res summæ mihi esse voluptati: tum quod ab Henrici Bangerti optimi Præceptoris mei fato in Lubecensi historia nemo aliquid operæ fecisset precii; tum quod crederem levatum me iri onere, quod ipse alioquin meis imposuissem humeris. Enimvero quandoquidem magnis Patriæ tuæ Patribus, Reip. florentissimæ Statoribus minime displicituram

turam novissem integram Urbis suæ historiam, quamprimum ab aliis curis daretur ocii, in illa paulo curatius elaborare constitueram, atque id etiam Lubecæ commoratus non dissimulaveram. Et spes me habebat non vulgaris, fore ut ad hanc telam pertexendam Opt. Proceres ex publicis tabulariis, ac alii Patronorum amicorumve ex privatis scriniis publico usui profutura mecum essent communicaturi: utpote qui intelligant ac judicent probe, quanto cum præsentis ævi futuræque posteritatis commodo accuratior patriæ historiæ conjuncta sit tractatio. In quam rem cum devenio, non possum non mirari perversam illorum hominum mentem, qui majorum præclare gesta vel propterea nolint scribi, ne & in his nonnulla compareant obelum ac cenfuram merentia: cum tamen eo ipso suum prodant ingenium, ac aliis dent ansam suspicandi, vel propter exemplum timeri calamum historicum, ne quando is ad recentiora devolutus, affectatam ipsorum dominationem variasque artes alias, ac solœcismos pandat politicos. Ceterum cum te, o optime, lineamenta historiæ patriæ nunc satis eleganter ducturum, ac porro majori accedente præsidio, justum opus conscripturum sperarem, quantum in me est, præclaros hos conatus fovi, & sicubi ferret occasio, modis omnibus promovi. Sic igitur natum est *Antiquæ Lubecensis historiæ* specimen, ab originibus urbis ad Friderici I. Germaniæ Regis ac Imperatoris Romani pertingens tempora, quibus primum, ceu a te in calce laudatus Chronicorum Slavicorum scriptor habet, *Lubeca facta est Imperialis, caputque omnium civitatum maritimarum.* Non diu post a Serenissimo Saxoniam Duce FRIDERICO, Domino meo clem-

mentissimo Gotham vocatus, commodum te itineris laborumque delegi socium: & quamvis in delineandis veteribus monumentis non parum collocaveris operæ, si Maximi Principis gratiam, magnorum virorum patrocinium, suavem Brucknerianum convictum, commercium cum doctissimo Pfannero literarium, ipsiusque laboris singularem fructum cogitaveris, nunquam puto fore, ut Gothanae hujus mansionis te poeniteat. Sed meum prævertebas reditum; non tamen laborum tædio, quam quod alterius in Lubecensis historia dissertationis editionem molireris. Et prodiit quidem illa non modo, sed & cum priori uno eodemque die tam matutinis, quam pomeridianis horis doctissimorum quorundam Juvenum examini proposita, ac masculæ fuit defensa. Porro superiori anno tertia accessit Commentatio, quam cum anno CI^o CCC. finire voluisti. Jam pridem & ista publicæ disquisitioni fuisset exposita, modo non ipse nexuisses moras, ut interim quarta prodiret, ac utraque uno, ceu ante factum, die ab eruditis censoribus examinaretur. Neque in te ulla quoque fuisset mora, Juvenum diligentissime, nisi tot aliæ in elegantioribus literis occupationes, ac in primis illud rei veteris numariæ studium intercessisset. Hujus prima jecisti fundamenta, cum ex meo consilio ab Vngaro quodam studioso ultra quinquaginta ac centum nummos veteres, & in his non paucos rariores mediocri precio coceres. Sed crevit eximius ille ardor, postquam lectissima sponsa mea *τὸ πάλιν* Bosii thesaurum non semel tibi panderet, ac ipse porro plenam hunc intimius cognoscendi, ac quæ tua est fides & circumspectio, religiose tractandi plenam concederem facultatem. Hinc assiduus in hac præ-

præ-

præclarissima opera fuisti & accubus, ac simul omnes & singulos de re nummaria libros, quos publica eique nunc juncta Bosiana, & qualiscunque mea Bibliotheca, nec minus bibliopolarum tabernæ suppeditarunt, per-
 voluisti atque perlegisti. Neque hic tua stetit industria, sed & ex Gallico in latinum cœpisti vertere præclarissimi Savotiani operis partem, ex qua de singulorum, aut certe præcipuorum nummorum raritate ac nato inde precio ferre liceat iudicium. Porro etiam Labbæanam Scripto-
 rum rei nummariaæ bibliothecam, Seldenianum nomen falso præferentem meliù componere, & non contemnen-
 da accessione augere constituisti. Cui quidem labori ut brevi item sperata imponatur coronis, ex animi senten-
 tia voveo. At enim qui hic haberem præterire insignem in me pietatem ac benevolentiam, quam in inscribenda mihi Epistola de antiquis quibusdam nummis Germani-
 cis historiam Thuringicam præcipue illustrantibus, ac si-
 mul gratum pro Bosianorum cimeliorum communica-
 tione mentem demonstraisti? Nondum hætenus per
 multifarias occupationes publice respondere mihi fuit
 integrum, quamprimum tamen aliquid nactus fuero
 ocii, meum faciam officium, ac plures alios Germani-
 cos nummos veteres & in tui & in aliorum tui similium
 gratiam spectandos dabo. Tu vero interea perge tuis cu-
 ris meum illustrare museum, certoque tibi persuade, id
 tam mihi ornamento, quam tibi singulari decori fore. Et
 jam vides hujus rei fructum, mi Melleni: quandoquidem
 ipse licet tacuerim, tuam tamen industriam & do-
 ctrinam publice in Historia Nummorum Saxo-
 nicorum celebraverit optimus ac doctissimus co-
 gnatus meus, Altenburgensis Scholæ Rector, Paulus

Martinus Sagittarius, magni Patris filius æmulus, ac non minus te, cum nuper versaremur Altenburgi, quam me singulari infucatoque amore complexus. Neque non alia ab aliis habes sperare: ac nosti, quid jam tum de te sentiant maximi quique Viri, & in his eruditi orbis splendor ac immortale decus, Hermannus Conringius, cui vitam longævam ac vegetam senectutem mecum optaveris. Præterea hæc ipsa rarior doctrina tibi conciliavit Olearii nostri, at quanti in his studiis Viri! favorem, cuius Urnæ sepulchralis Sarmaticæ historiam dum nuper cœpisti illustrare, ac nunc feliciter perfecisti, non de præclarissimo tantum possessore, sed & de ipsa Sarmatia & in univ ersum de humanioribus his literis optime fuisti meritus. Cum primo Halis reversus, quid in animo haberes, brevibus mihi narrares, ac non tam unius sive paucarum quarundam, quam omnium antiquarum Urnarum historiam te moliri crederem, vel Patriæ tuæ nomine, quæ a te plura in rebus suis expectat, indolui primo, & opus in aliud tempus differendum censui. At quando sigillatim explicares, tui quid esset propositi, ac porro urnæ Sarmaticæ ac alias a penicillo tuo commonstrares imagines, tantum abest, ut a cœptis te revocarem, ut potius currenti calcar adderem. An omnia & singula amussitata sint, non equidem dixerim, nec tu, quia es modestia, id discupis: dubium tamen non est, quin multa aperueris: quæ si perpenderit alii, tandem aliquando dilucidam de loco præsertim, ubi dispositæ fuerunt urnæ, historiam simus accepturi. Mihi certe, quod pace tua dixerim, nondum vero videtur simile, Sarmatas togatis temporibus eo loci singulare quoddam condidisse crematis ossibus cœmeterium,

nisi

nisi forte magna quædam strages huic rei occasionem dederit. De Romanis quidem ossibus hic conditis nunc mitto, quas habui conjecturas, & in Sarmatis seu Wendis tecum consentio. Forte tamen in posterum dabitur ostendere, in hoc campo sive cum Romanis sive cum aliis gentibus manus conseruisse Sarmatas, ac hostium quidem cadavera in profluentem forte projecta, aut canum ferarumque ludibriis exposita, suorum vero corpora religiose cremata, ossa & cineres religiosius fuisse in has urnas reposita. Reliqua valde mihi probantur, & in his de acubus conjecturæ, in quibus, ut est in proverbio, rem acu tetigisse videris. Interea, si porro in hac particula Philologiæ de Urnis veterum strenue elaboraveris, spes me habet certa, non pauca te cum tempore detecturum, quæ hæcenus etiam doctissimis viris latuerunt. Sic igitur in itinere ibus, quæ cum tuorum pace anno forte proximo inchoaveris, in publicis privatisque Bibliothecis, ac Principum aliorumque clarorum virorum museis ac cimeliis si quæ Tibi se obtulerint urnæ sollicitius spectabis, & a ceteris, quarum jam exstant icones, diversas affabre delineabis. Memini enim me in florentissima inclutæ Norimbergensis Reipubl. bibliotheca spectare quondam rarioris commatis urnas, quarum ectypum in Memorabilibus magnificæ hujus Bibliothecæ nobis dedit pientissimi Norimbergensis Theologi elegantis doctrinæ filius Joh. Jacobus Leibnitzius: quæ & ab erudita Viri Cl. Christophori Arnoldi Epistola de Urnis sepulcralibus in agro Anglorum Nortfolciensi repertis magnam lucem capiunt. Sed & in museo Brackenhoferiano, a Joh. Joachimo Bockenhofero ante biennium erudite delineato insignes
urnas

Zd 1390 QK

40

CASP. SAGITTARII EPISTOLA

urnas sepulcrales veteres haberi scio. Et hujus quidem Brackenhoferiani nominis eo lubentius memini, quod illustria ejus in Rempubl. Argentoratensem merita per familiarem epistolam summe mihi nuper celebraverit affinis meus Christophorus Erasmus Vngebauerus, supra illud architectonices civilis ac militaris ut & tormentariae artis, quibus in excellit, etiam hoc antiquitatis studium impense amans, & sicubi, quod opto ac spero, Argentina ipsi faverit, in Germanicarum urbium capite magna olim te cum voluptate excepturus. Ceterum ne modum egrediar epistolae, hic desino, & de novo ac singulari rarioris doctrinae specimine & tibi, & infinitis de Te modis, nec minus optime de me merito Patri tuo M. BERNHARDO KRECHTINGIO gratulor, Deumque precor, ut & illum tibi, te ipsi matrique servet diutissime. Ego vero, sicuti haecenus, ita in posterum non desinam te amare, diligere, ornare, nec ullam praetermittere occasionem, qua in detur ostendere, quanti te pro virtute, industria, doctrina, ac candore tuo aestimem.

Credo etiam brevi fore tempus, quo in meritis tuis honoribus mea quoque dextra erit occupata.

Scribebam Jenae XII. Maji die anni

clo Idc LXXIX.



QK. 231 4 X 20545

IACOBI A
LVBEC

HISTO

VR

SEPVLC
SARMA

ANNO clō lōc LX

EXCELL

DN. GEORG
GANGVM W

MED. D. ET PROF.
DVCALEM SAXONICV
CVRIOSORVM ACAD
HERCV



I E N
TYPIS SAMVE
ANNO clō l



TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black